

Quandoque bonus dormitat Homerus; vel quod aliquando etiam Viri doctissimi errare confueverunt.

Circa Tertium casum, in quo solum adulterium cum promissione futuri Matrimonii producit Impedimentum Crimini dirimens, hæc sunt conditiones necessariæ. Prima, quod Adulterium fuerit consummatum per actualem copulam. Secunda, quod Matrimonium fuerit validum, & verum inter adulterantem, & conjugem innocentem. Tertia, quod dum committitur adulterium, & sit promissio de futuro Matrimonio, uterque adulterans sciat, Matrimonium existere inter ipsos cum eodem conjugem innocente; quia si crederent se esse liberos, formaliter non adulterarent, & hoc impedimentum non incurrerent. cap. 2. cap. Veniens. De eo, qui duxit Epoc. Quarta, quod habita scientia de alterutro statu conjugali, iterum simul coeat; nam incurrit impedimentum per hanc novam copulam, per quam censetur ratificare præcedentem promissionem de futuro Matrimonio inter se in eundem. Sanchez d. lib. 7. disp. 79. num. 32. & 34. Salmanticenses d. cap. 12. num. 59. Quinta, quod tam adulterium, quam promissio sequatur, vivente adhuc conjugem innocente; nam si eo mortuo vel copula habeatur, vel promissio detur, impedimentum non incurritur. Basilii Pontius lib. 7. cap. 54. num. 2. & alii citati per Salmanticenses d. cap. 12. num. 60. Sexta, quod promissio non fuerit revocata; si enim revocata fuerit, & postea non amplius se carnaliter cognoverint ipsi adulteri, cessat impedimentum, & poterunt simul contrahere; secus verò, si promissione retractata, iterum carnaliter se cognoverint, nam impedimentum reviviscit. Salmanticenses d. num. 60. Septima conditio est, ut ipsa promissio sit verbis, vel signis exterioribus expressa; non autem in corde tantum retenta. Sed utrum debeat esse acceptata? ac etiam ne sit ficta, sed vera? Alii DD. asserunt, oriri impedimentum dirimens; alii negant, quos allegant Salmanticenses num. 61. ubi stant pro negativa, dicentes, promissionem debere esse veram, & non fictam, ad hoc ut gignat impedimentum, & opus esse, ut sit acceptata ab alio adultero. Verùm pro utraque opinione refert gravissimos DD. Diana Coordinatus tom. 6. tract. 6. resol. 168. & resol. 169. ibi à Studiofis videndi; & extant in Diana veteri, seu inordinato part. 3. tractat. 4. resol. 197. nec non par. 9. tract. 7. resol. 26.

Circa Quartum Casum, in quo unus, vel duo conjugati non obstante priori Matrimonio de facto contrahunt aliud Matrimonium inter se, vivente primo conjugem; nulla alia conditio requiritur ad incurrendum hoc impedimentum Crimini dirimens, nisi quod sciant, primum, vel primos eorum conjuges esse vivos; & quod de facto procedant ad contrahendum inter se Matrimonium; quia licet nulliter, & invalidè contrahant; attamen in penam tanti usus, & quod attentaverint conjugium inire, redduntur inhabiles, etiam postquam fuerint in statu libero post mortem naturalem priorum conjugum, ad simul contrahendum Matrimonium. cap. Ex Literarum. cap. si quis. eod. tit. De eo, qui duxit. & hoc docent omnes DD. Moralitæ, & Scholastici, quos allegant Salmanticenses d. cap. 12. num. 63. & concordant Masrius d. disp. 7. n. 498. atque Emin. Card. de Lauræa d. disp. 33. art. 7. per totum.

Hæc autem notandum venit, id quod scribit Justus de Dispenfat. Matrim. lib. 1. cap. 4. num. 188. his verbis: Circa dispensationem obtinendam super commissio, seu machinato Crimine, explicari debet, An huiusmodi impedimentum oriatur ex Machinatione, seu Aulterio, vel ex ambobus; si idem Crimen fuisset alia vice patratum, & deinde repetitum de ea sit mentio; alia dispensatio secundò obtenta erit nulla, ac subreptitia, quia Papa non presumitur velle idem

genus criminis pluries remittere. l. Nemo 3. c. de E. p. cap. audient. Et allegat DD. ita sentientes inter quos Sanchez lib. 8. disp. 22. n. 20. Basil. Pontium lib. 8. cap. 17. §. 1. n. 8. in fin. Averfam q. 19. secl. 5. & alii omnes, Dianam part. 8. tract. 3. resol. 75. quæ nunc reperitur in ejus opere Coordinato tom. 3. tract. 2. resol. 148. ubi alios DD. concordantes cumulat.

Quo ad Quartum, in quo investigandum proponitur, Quantum Deo displicent prædicta homicidia, vel adulteria in propriis conjugibus? Talis displicentia offendi potest ex punitione, quam Divina Justitia semper suppedit, ob huiusmodi crimina, prout apparet ex sequentibus historiis, ac exemplis. Prima est Clytemnestra, Tyndari filia, Castoris germanæ, & Helena, Pollucisque Sororis, nata in Urbe Sparta, ac Agamemnonis Mycenarum Regis Uxor, quæ male Viro suo servavit fidem. Hic enim Trojam ad ulciscendam fratris injuriam, ob Helene raptum profectus, totius Græci exercitus summum gerens imperium, dum in expugnanda Troja, pro Græciæ dignitate insudat, à prædicta Clytemnestra Uxore sua magno fuit affectus dedecore; nam ipsa, infans amore capta, cum Egistho Thyestæ filio, Agamemnonis patruæ, adulterium commisit; ad eoque in adulterium amore exarsit, ut secum converteret de Agamemnone Coniuge occidendo, ut secum Nuptias impundè posset inire. Post expugnationem Trojæ Agamemnon donum triumphans reverens cum captiva Cassandra, quæ in prædæ partitione ei obvenerat, ejusdem sentit vaticinium de infidiis sibi ab Uxore paratis, quibus credere nolens impiè fuit ab Egistho adultero interfecit, & eidem adultero homicidæ adultera nupsit. Sed numquid impundè? Nequaquam: nam non multo post, ab Oreste filio, quem Agamemnon ex impia Coniuge reliquerat, indignam Patris necem ulciscente, Clytemnestra Mater, & Egisthus adulter interempti fuerunt, ut fufius scribit Seneca in Agamemnon. & Euripides in Oreste, de quo Ovidius:

Vindex in Matrem Patris malus ulxor Orestes.

Secunda historia est Euridices, Macedonum Regiæ, Uxoris Amynthæ, ac mater Philippi, quæ 17 cujusdam adulteri desiderio, vitam marito suo auferre veneno tentavit, sed à filia sceleris detecto, tanti flagitii Euridice, ac adulter pœnas luerunt; ut scribit Fulgofius lib. 9. cap. 1. Tertia est Fabia, Fabrii Fabriciani Uxor, quæ dum Petronium 18 Valentium liberali forma adolescentem, quocum adulterii consuetudinem habebat, maxime deperiret, maritum interfecit, ut adultero frueretur securis. Sed paulo post & ipsa infelicitè fuit necata, ut narrat Plutarchus in Parallel. Quarta est, quam ex Jo. Moscho in Prato florido cap. 76. narrat P. Stephanus Menochius in Storis part. 5. centur. 10. cap. 15. de quadam muliere, quæ ut nuberet militi, in cuius amorem exarserat, præter mariti mortem, duos filios suos necaverat, eo quia à milite sibi dictum fuerat, nolle in conjugem sumere alienos filios habentem. Ad post hæc facinora, à milite pro Uxore ob horrorem recufata; ipsa præ desperatione navim ascendit, ut in Africam traiceret. Ex abrupto navis in medio maris remanet immobilis per plures dies, etsi aliæ naves feliciter transmigrent. Nauta orans cælestis monitus fuit, ob huius mulieris peccata, hoc prodigium datum; quam in scapham hortatus descendere, statim ac in illam ingressa est mulier ipsa; & scapham, ac mulierem mare in profundum absorbit. Quinta est, quam ex Cantipratino refert Bagatta tom. 2. lib. 2. cap. 3. num. 7. de quadam conjugem adultero, cuius facies in formam horribilis Dæmonis cum cornibus mutata est, itaut omnes non solum homines, sed & jumenta, ac pecudes illum intuentes in fugam præ horrore se præcipites darent. Hæc passus est adul-

adulter ille nonnullis diebus in penam adulterii. Subdit autem Bagatta ibid. Peccatum suum ubi cum mira contritione, & lacrimis esse confessus, larvalis illi confuso detectus est. & propriam faciem cum sua integritate recepit. Sexta pariter ponitur ab eodem Bagatta à lib. 2. cap. 3. num. 8. ex Joanne Eusebio Nierimbergo his verbis: Legimus in Societate Jesu Literis annis, quemdam ex adulterio perpetrato tantam oris totius deformitatem retulisse, ut refugeretur à familiaribus, & uxore, domoque ab iis arceretur: quod ille prudenter flagitio tribuens, peccatum suum confessus, illud evasis in alterum, & decenti splendore, ac elegantia formosus rei confusus stupescit. Septima continetur in Chronicis S. Dominici, & ex eis desumpta transcribitur à P. Paulo Segnerio 21 in Christ. Instru. part. 3. serm. 26. num. 20. de quadam adultero, cuius Uxor innocens in visione vidit lætulum igneum paratum in inferno pro eodem suo marito, qui ab ipsa admotus, & ab eodem Sancto Dominico adiutus penitentiam egit. Non equidem effugiant adulteri impudentes iram Domini, contra quos ipse minatur dicens: Saturavi eos, & maceravi inter. Unusquisque ad Uxorem proximi sui subiebat: nunquid super his non visitabo, dicit Dominus, & in gente tali non ulciscetur Anima mea? Jerem. 3. 7. Plura, digna scitu, disferit idem P. Segnerius d. part. 3. serm. 26. contra magnitudinem huius Crimini adulterii, ibi à Studiofis legenda; ubi concludit cum Apostoli tremendis verbis: 1. Cor. 6. 9. Nolite errare: Adulteri Regnum Dei non possidebunt.

DECISIO XXVI. ARGUMENTUM.

Tractat hæc Decifio de Impedimento Disparitatis Cultus, Matrimonium dirimente. Demonstrat Juribus, Rationibus, Historiis, ac Exemplis, illud provenire non à Jure Naturali, non à Jure Divino, non à Jure Ecclesiastico scripto; sed à Consuetudine per Ecclesiam approbata. Docet, Matrimonium inter Catholicos, & Acatolicos esse quidem illicitum, sed tamen valida. Leonardi Lessii eximii Theologi Sac. Jesu monita Spiritualia septem; & ejus mortis tempus.

SUMMARIUM.

- 1 Matrimonia iniri à fidelibus cum infidelibus illicitum.
- 2 Ea quoque si fiant, sunt irrita, ac invalida.
- 3 Catholicæ mulier nubit baptizato.
- 4 Jus naturale an irritet Matrimonium fidelis cum infideli? Quod sic? rationes quinque.
- 5 Quod non? rationes, ac exempla.
- 6 Rationum contrariarum resolutio.
- 7 Impedimentum disparitatis cultus an procedat à Jure Divino?
- 8 Etsi hæc impugnetur Matrimoniorum cum mulieribus paganis. & numer. 13.
- 9 Mulierum paganarum Viris Catholicis nuptiarum exempla.
- 10 Mulierum Catholicarum, quæ nupservit Viris paganis, exempla.
- 11 Hebræi illicitè, non invalidè contrahabant Matrimonium cum alienigenis.
- 12 Mulieres alienigenæ, si se habant profana, licitè nubebant Hebræis.
- 13 Etsi hæc fallum circa conjugia Hebræorum declaratum.
- 14 D. Pauli 2. Cor. 6. 14. verba explicata. De Sacram. Matrim.

- 15 Dispar cultus an dirimat Matrimonium Jure Ecclesiastico?
- 16 Cap. Judæi 28. quæst. 1. declaratum.
- 17 Consuetudo introduxit Impedimentum dirimens disparitatis Cultus.
- 18 Hæretici Matrimonium cum Catholica, & è contra, an validum? & num. 20.
- 19 Consuetudo potest abolere Impedimenta dirimentia.
- 20 Catholica validè nubit Hæretico.
- 21 Can. 72. Synodi Trullana 6. prescriptio.
- 22 Indi, ac Japonæ an officiantur Impedimento disparitatis cultus dirimente?
- 24 Leonardi Lessii monita septem spiritualia; ejusque mortis tempus.

Sequitur exponendum Impedimentum dirimens, quod communi vocabulo nuncupatur Disparitatis Cultus; cujus occasione duo tractant Theologi; Utrum videlicet An sit irritum ipso Jure Matrimonium contractum inter Baptizatum, & non baptizatum, idest à Christiano cum Judæo, vel Pagano; aut è converso, à Judæo, vel Pagano cum Christiana? Alterum, an subjaceat eidem nullitati Conjugium fidelis cum Hæretico, seu Apostata à Fide; & è converso? Et de his duobus breviter in præfenti Decifione est agendum, ac pro utriusque explicatione, quatuor sunt examinanda.

1. An hoc Impedimentum Disparitatis Cultus sit introductum à Jure naturali?
2. Vel potius à Jure Divino positivo?
3. Sive à Jure Ecclesiastico? ubi? & quando?
4. An Catholica mulier validè nubat Hæretico, seu Apostata? & è contra?

Quo ad Primum, Præmittere oportet, quod Matrimonium fidelis baptizati cum infideli non baptizato est prorsus illicitum tam Jure naturali, quam Jure Divino; itaut circumscripta prohibitione Ecclesie, & irritatione conjugii, ab hoc impedimento dirimente Disparitatis Cultus causata, peccent mortaliter fideles cum infidelibus contrahentes, nisi ob magnam, ac publicam causam, & cum dispensatione Summi Pontificis id agerent; tum ob periculum perverfionis à fide, cui se exponeret baptizati sic nubentes; tum propter damnum prolis, ad cuius bonam, & rectam educationem in obsequio Dei Matrimonium ordinatur; siquidem difficulter possunt filii vel Patris, vel Matris infidelis in vera fide instrui, & educari, ut differunt Salmanticenses, alios DD. allegantes tract. 9. de Matrim. cap. 12. à num. 66. & seqq. Ulterius est præmittendum, quod huiusmodi conjugia fidelium cum infidelibus, ac baptizati cum non baptizato, non solum sunt illicita, sed etiam ipso Jure nulla, ac invalida; ut probat S. Thomas in 4. dist. 39. quæst. 1. quæst. art. 1. & in Addit. 3. part. quæst. 59. artic. 1. quem universi Theologi, ac Canonistæ sequuntur, illosque refert longa serie Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 71. num. 2. subdens, hæc irritationem intrare etiam si mulier baptizata nuberet Catechumeno juxta text. in cap. Cave 28. quæst. 1. ubi dicitur: Si Christiana sit non est satis; nisi ambo initiati sint Sacramento Baptismati; quo loco Glossa à Verb. Christiana explicat, idest Catechizata. Querunt igitur DD. an hoc impedimentum dirimens Disparitatis Cultus irritet Matrimonium inire inter fidelem, ac infidelem de Jure naturali? Nonnulli DD. affirmant; Primum, quia id, quod repugnat fini ipsius Matrimonii censetur vetitum, ac prohibitum in Jure naturali, & quo ordinatum est ipsum Matrimonium. Sed finis Matrimonii non solum est prolis generatio; sed ejus bona educatio; quæ fieri non potest, quando uno ex genitoribus sit fidelis, alter verò infidelis; ab isto enim contra Deum filii instruantur, & erroribus imbuti pessimè educabuntur. Ergo Jus naturale instituit, ne fidelis nubat infideli. Secundo, quia

quia de Jure naturali est, ut conjuges adinvicem se diligant, honorent, ac mutuo prosequantur affectu. Sed hoc obtineri non potest inter eos, quorum dispar est Religio; potius enim prorumpent in odia, injurias, ac contentiones. Ergo ab eodem Jure procedit hoc impedimentum dirimens disparis cultus. *Tertio*, quia sicut Jure naturalis est abstinere ab occasionibus, ac periculis peccandi, sic ab eodem Jure procedere debent remedia ad præcavenda ipsa pericula. Sed impedimentum hoc dirimens disparitatis cultus tendit ad evitandas occasiones, ac pericula peccandi. Ergo à Jure naturali procedit. *Quarto* illius Jure debet esse irritum Matrimonium, ne valide fiat, cujus est illud dissolvere, si antea etiam valide fuisset factum. Sed jus naturale dissolvit Matrimonium valide initum inter infideles, si unus eorum convertatur ad fidem, & oriatur inter eos disparitas cultus, juxta verba illa Apostoli 1. ad Cor. 7. *Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servitus subiectionis est frater, aut soror in hujusmodi;* quod late demonstravimus supra Decif. XI. & habetur in cap. *Quarta*. Et in cap. *Gaudemus*. De Divort. Ergo ad idem Jus naturale spectat hoc impedimentum dirimens Disparitatis Cultus statueri, ne fidelis nubat infideli, sub pena nullitatis Matrimonii. *Quinto*, quod operatur Jus Divinum in irritando Matrimonium ratione Sacramenti, operatur Jus naturale in eadem irritatione ratione contractus; siquidem Matrimonium est unum, & idem quo ad contractum, & quo ad Sacramentum. Ergo sicut jus Divinum irritat Matrimonium tamquam Sacramentum inter fideles, & infidelem, quia sic non est expax Sacramenti, cum non sit baptizatus; ita Jus naturale irritat Conjugium tamquam contractum inter eisdem fidelem, & infidelem.

His tamen, & similibus minimè obstantibus, vera est opinio negativa, quæ tenet, hujusmodi impedimentum Disparitatis Cultus non esse introductum à Jure naturali, neque ab eo provenire. *Primo*, quia Disparitas Cultus nullam impossibilitatem habet de Jure naturali in Matrimonio fidelis cum infideli; siquidem Matrimonium institutum est ad propagationem prolis, ad eundem educationem, & ad mutua inter conjuges obsequia. Sed hæc possunt exerceri etiam inter eos dispar sit cultus; ut est manifestum ex exemplis infra adducendis. Ergo hoc impedimentum non est de Jure naturæ. *Secundo*, quia si à Jure naturali esset hoc impedimentum dirimens, sequeretur, quod uno conjuge infideli converso ad fidem, statim esset solutum Vinculum Matrimonii illius. Sed hoc non est verum; quia si vult infidelis habitare cum infideli sine injuria Creatoris, id potest, juxta illud Apostoli 1. Cor. 7. *Si quis frater uxorem habeat infidelem, hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* quia scilicet remanet validum Matrimonium inter eos; alias viverent in fornicatione. Ergo non procedit hæc irritatio à Jure naturali. *Tertio*, quia tempore Legis naturæ homines sancti, ac timorati conjugia faciebant etiam cum mulieribus disparis cultus; nam Jacob duxit in uxorem duas filias Labani, ut habetur *Genes. 29.* quæ quidem, sicut pater earum, erant idololatæ; nam portaverunt secum idola, cum Jacob reverteretur cum uxoris in patriam suam *Genes. 31. 32.* Joseph ejus filius cum esset Prorex Ægypti accepit in uxorem *Asenethem* filiam Putipharis Sacerdotis Heliopolæ, utique Idololatram, & Gentilem, prout erat pater ejus. *Genes. 41. 45.* Ipse quoque Moyses cum esset adolescens in Ægypto, & antequam ei Deus daret Legem in Monte Sinai, videbatur adhuc Lege naturali durante, accepit *Sephoram* filiam *Ragueltis*, alio nomine *Jethro* Sacerdotis Medianitæ in uxorem, *Exod. 2. 21.* utique Idololatram, ac Gentilem; idcirco reculerat circumcidere puerum, quem ex Moysse generat; cui post non breve

tempus eandem circumcisionem filii exigenti dixit: *Sponsus sanguinum tu mihi es. Exod. 4. 25.* Quo loci ait Cornelius à Lapide: *Quæres, cur Moyses Vir sanctus, secundum Legem, filium suum non circumcidit? Respondent Rupertus, & Hugo de S. Victor, ad quod Jethro dicit, & Sephora Uxor, ut potest gentiles, & Medianitæ; non permittent puerum dolore, & vulnere scissi.* Igitur Jus naturale, dum homines viverent sub Lege Naturæ, hoc impedimentum dirimens non induxerat, nec postea induxit. Quare hæc retenta opinione, ad rationes contrarias respondetur; ad 1. Quod dispar cultus non obstat absolute bonæ educationi prolis; alias sequeretur, quod Matrimonium esset invalidum inter Catholicam, & Hæreticum; inter quos est eadem difficultas bene educandi filios; & tamen non est irritum, ut infra ostendemus. Ad 2. quod idem procedit circa mutua dilectionem inter ipsos conjuges, qui de Religione inter se non disputant, sed maritalem affectum custodiunt. Ad 3. quod obligatio fugiendi pericula peccandi procedit quidem à principiis Jure naturali, sed non est tantæ energię, ut irritet conjugium inter personas diversæ cultus. Ad 4. quod dissolutio Matrimonii, ob conversionem conjugis infidelis ad fidem, procedit non ex Jure naturali immediato, sed ex privilegio divino, ac dispensatione relicta à Christo Domino in favorem Fidei, ut probatum est supra in cit. Decif. XI. Ad 5. non currere pariter de contractu ad Sacramentum; quia est Sacramentum non subsistat, ubi nullus est contractus Matrimonii; attamen in pluribus casibus contractus subsistit, est Sacramentum deficiat, ut fusc disputavimus, & docuimus supra Decif. IV. Quare rejecta prima opinione, hæc secundam, quæ negat hoc impedimentum dirimens disparitatis cultus inventum esse à Jure naturali, amplectuntur, ac tenent Theologi, & Canonistæ, quos citat, & sequitur Sanchez d. lib. 7. disp. 71. num. 7. Lessius in 3. p. Di. Thom. cap. 11. de Matrim. numer. 180. Averla qu. 18. scilicet. col. 2. Basilus Ponticus de Matrim. lib. 7. cap. 47. num. 2. Salmanticensis dist. tract. 9. cap. 12. numer. 70. Mastrius d. disp. 7. num. 502. & novissimè Eminentiss. Cardin. de Lauræ de Matrim. disp. 22. à num. 20. & seqq.

Quo ad Secundam, in quo petitur, an prædictum impedimentum disparitatis cultus procedat à Jure Divino positivo? Et videtur dicendum, quod sic; primo, quia in *Deuter. 7. 1.* sic Deus præcepit populo suo: *Cum introverit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus invaderis. Non inabis cum eis (id est idololatris) fructus, nec miseribus earum; neque sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus; nec filiam illius accipies filio tuo; quia seducet filium tuum, ne sequatur me; & ut magis serviat Divi alienis.* Et quoniam aliquis posset dicere, præceptum hoc Divinum fuisse prohibitivum; non etiam irritans conjugiorum, quæ ab Hebræis intrentur cum feminis gentilibus, & idololatris; contrarium deducitur ex facto *Esdra*, qui reversus in Jerusalem ex Babylonica captivitate, restituitur Templum, ac reformaturus mores populi; scandalaque, & peccata, quæ invaluerant, ablati; inter cætera ipse redarguit populum, 1. *Esdra. 10. 10.* dicens: *Vos transgressi estis, & duxistis uxores alienigenas, ut adderetis super delictum Israël. Et nunc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum, & facite placium ejus. & separamini à populo terræ, & ab Uxoribus alienigenis. Et respondit universa multitudo, dixitque voce magna: Juxta verbum tuum ad nos, sic fiat. Et subinde deputati fuerunt Judices, qui exequerentur tale præceptum; & dimissa fuerunt uxores alienigenæ à populo Hebræo. Ergo Matrimonia Hebræorum cum mulieribus idololatris erant irrita, & invalida à principio ob impedimentum disparis cultus dirimens, quod*

procedebat ex Jure Divino positivo scripto in *lib. Deuter. cap. 7.* supra recensito. Ulterius, id videtur expressè innuere Apostolus 2. Cor. 6. dicens: *Nolite jugum ducere cum infidelibus;* quæ verba ab interpretibus explicantur de Matrimonio, quod invalide contrahitur contra Jus Divinum à fidele cum infideli; & idcirco sic opinati sunt, ac scripserunt Catharinus *lib. 5. contra Cajetan. cap. De Matrim.* Viguierus *lib. de Instit. cap. 16. §. 7. Vers. 9. Imped. 10.* Paulus Grillandus & alii apud Sanchez d. *lib. 7. disp. 71. num. 6. in fin.*

Cæterum his non obstantibus, communis, ac vera omnium Scribentium Sententia est, (quam omnes antiqui, ac moderni Theologi, ac Canonistæ amplectuntur) nequaquam impedimentum disparis cultus, de quo agimus, emanasse à Jure Divino positivo; & ad hæc doctrinam comprobendam factis est allegare exempla à piis viris, ac sanctis mulieribus sumpta; à quibus tum tempore Legis Moysæ, tum Legis Evangelicæ fuerunt inita Matrimonia cum personis disparis cultus; quæ non fuissent per eosdem attentata, neque per Ecclesiam permessa, si illud impedimentum disparis Religionis dirimens processisset à Jure Divino. *Primo*, Moysæcæ Legis tempore, Salomon filius Naafonis, inter Hebræos pietate, obsequio, ac fide præcipuus, ut eum vocat *Tirinus Jof. 2. 1.* duxit in uxorem *Rahab* Jerichiticam, paganam, ac idololatram, quæ in urbe Jericho exploratores in sua domo receptos, à morte præservaverat; quam S. Matthæus expressè nominat in genealogia Salvatoris dicens: *Salmon autem genuit Booz de Rahab. Matth. 1. 5.* Ergo de Jure Divino non erat prohibitum sub pena nullitatis Matrimonium inter fidelem, ac infidelem. *Secundo*: Booz ejusdem Salomonis filius sibi copulavit uxorem *Ruth* mulierem Mohabiticam gentilem, ac paganam, ut legitur *Ruth. 4. 13.* de qua pariter in Evangelio S. Matth. 1. 6. *Booz autem genuit Obed ex Ruth. Tertio*, simili modo Sampon conjugium fecit cum Dalila femina Philistinâ, utique pagana, ut in *lib. Judic. 16. 1.* *Quarto*, ipsemet Rex David inter alias uxores, quas sibi desponsavit, assumpsit sibi *Machab* filiam Thomæ Regis Gestur à genere Chanaanorum; disparis utique Religionis, de qua natus est filius Absalom, ut testatur *Textus Sacer. 2. Reg. 3. 3.* Quomodo Rex David contrahere potuisset conjugium contra præceptum Divinum, & cum impedimento dirimente, si verè hoc impedimentum de Jure Divino tunc extitisset? *Quinto*, Salomon quoque Rex, ac filius David Sapientissimus, *Affiniatè conjunctus est Pharaoni Regi Ægypti; accepit namque filium ejus, & adduxit in Civitatem David; ut legitur 3. Reg. 3. 1.* & nihilominus tunc erat gratissimus Deo; subdit enim ibi Scriptura *Vers. 5. Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte, dicens: Postula quod vis, ut dem tibi.* Sed ulterius idem Salomon copulavit sibi plures alias disparis cultus uxores, *Mohabitas, Ammonitas, Idumæas, Sydonias, & Hebræas*, ut considerat *Scotus in 4. dist. 39. q. 1. in princ.* Ergo tunc non extabat impedimentum dirimens disparitatis cultus. *Sexto*, etiam *Esbe* Virgo Hebræa nupsit *Asturo* Regi Persarum, atque Medorum, utique Ethnico, ac pagano; de quo *Esbe. 2. 17.*

In Lege autem Evangelicâ, primis Ecclesiæ sæculis Virgines Christianæ passim desponsabantur Viris idololatris, ut scribunt S. Hieronymus *lib. 1. contra Jovinian.* & S. Augustinus *lib. de fide, & operib. cap. 19.* habenturque exempla plurima in *Victi* Sanctorum. Nam 1. S. Cæciliæ Virgini, ac Martyri ejus parentes dederant in maritum Valerianum, qui baptizatus non erat, ut ex lectionibus secundi nocturni in Officio ejusdem Sanctæ die 22. *Novembris* legitur. 2. Paganus erat Sponsus S. Lucia

Virginis, & Martyris, qui cum apud Paphlagum, Præfectum, quod Christiana esset, accuasset. *Leod. 5. Offic. die 13. Decembr. 3.* Clotidis prudentissima, ac Sanctissima Principissa nupsit Clodoveo Francorum Regi adhuc Ethnico, ac pagano Anno Domini 494. ubi num. 5. sic scribit Spondanus: *Hæc ipso Anno, qui numeratur aedem Clodovei regnantis in Gallia, idem Rex adhuc paganus existens, uxorem duxit Clotidem, sive Clotildem, Christianam feminam, filiam fratris Gundabaldi Regis Burgundionum. 4. S. Monica Mater Divi Augustini, quando cum ejusdem genitore Matrimonio contraxit, ipse ejus Vir erat paganus, ut testatur idem Sanctus *lib. 9. Confess. cap. 9.* & refertur à Sanchezio d. *lib. 7. disp. 71. n. 7. 5.* Ethnicus, ac Idololatra pariter erat Rex Eduinus in Anglia Aedolabari, quando ad illum ducta fuit in uxorem Edilburga Christiana, filia Edelberti Cantuariorum Regis, & ejusdem jussu associata à S. Paulino Monaco Romano, S. Gregorii Papæ discipulo, ac Nordanunborum creato Episcopo, ut legitur in Officio ejusdem S. Paulini Episcopi. *Confess. die 10. Octobr.* qui obiit Anno 654. 6. Confinie habetur exemplum de genitoribus S. Wenceslai Martyris, in cujus Officio die 28. *Septembris* Lectio IV. sic loquitur: *Wenceslaus Bohemæ Dux, Uratislao patre Christiano, Drabamira matre gentili natus. 7. Saracenis jam à sæculis circiter septem Hispanias occupantibus, inter eosdem, ac Christi fideles, ibi habitantes, fiebant frequenter conjugia teste Eminent. Card. Baronio in *Annal. ad Annum Christi 1010. rom. 11.* quem refert novissimè Emin. Card. de Lauræ d. *disp. 32. num. 38.* subdens, *Et licet improbetur factum, tamen nullus dicit, ea Matrimonia fuisse irrita; concludens, esse evidentissimum argumentum ex omnibus suprarelatis exemplis, impedimentum dirimens Matrimonium, ob cultus disparitatem, non esse inducendum à Jure Divino positivo, prout unanimiter tenent, ac docent Scotus in 4. *Sent. dist. 39. d. qu. 1. Unic. & ibid. S. Thomas, ac S. Bonaventura q. 1. alique Theologi, ac Canonistæ, quos innumeris citat, & sequitur Sanchez dist. *lib. 7. disp. 71. num. 7.* Basilus Pontius *lib. 7. cap. 47. num. 2.* Averla *dist. quæst. 18. scilicet. 1. col. 2.* Matris d. *disp. 7. num. 502.* Eminent. Card. de Lauræ *dist. disp. 32. num. 24.* & numer. 35. nec non Salmanticensis *dist. tract. 9. de Matrim. cap. 12. num. 70.* & Lessius *supr. num. 181.*****

Restat, ut evacuentur fundamenta in contrarium adducta; pro quorum resolutione, ultra id, quod circa Legem Deuteronomii *cap. 7. Vers. 3.* tetigimus supra, idest per eam fuisse illicita Matrimonia Hebræorum cum mulieribus disparis cultus, non autem irrita; magis proprie respondet Cornelius à Lapide ita scribens *ibid.* Nota: *tantum vetatur hic ne misceantur connubia cum Chananæis, quamdiu maneant Idololatæ. Nam si convertantur, & ad populum Dei aggregentur, jam Judæi sunt, non Chananæi; itaque cum iis conjugium inire fas est. Cessat enim tunc ratio Legis, quæ datur *Vers. 4.* quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & ut magis serviat Divi alienis. Sic Salomon duxit Rahab Jericuntinam, quæ recuperat exploratores missos à Josue. *Matth. 1. 5.* nam Rahab facta est proselyta, & Sacra Judaica suscepit. Igitur prohibitum fuit hebræis inire conjugia cum mulieribus Chananæis non semper, ac in perpetuum, sed donec, & quoque essent idololatæ, & reculerant, se ad verum Deum convertere; quæ prohibitio extendebatur ad omnes feminas cujuscumque nationis, ac regionis, quæ in fallâ religione vellet persistere, ut ex Philone, ac Josepho advertit *Tirinus Comment. in Exod. cap. 34. Vers. 15.* ubi subdit: *Hæc tamen intellige, ita fuisse vetita, si Uxores in patria superstitione permanere vellet: Nam si ad Judaicam Religionem transire cuperent, licitum erat,**

erat, tum alterius cujuslibet gentis, tum etiam Chanaanæ ducere; sic enim cessabat ratio Legis. Et Deut. 21. 11. permittitur exprēse hebreis, ut ex capitis in bello mulieribus, unam ducant Uxorem.

Ex his patet responso ad factum Eldræ, qui iustis omni populo dimittere Uxores, quas ex gentibus alienigenis, ac idololatri sibi copulaverant: nam id videtur prima fronte impossibile tum de Jure, quia si Matrimonia illa erant tantum illicita, non autem irrita; quomodo solvi poterant; tum de facto, ob multitudinem Uxorū alienigenarum, quæ tunc erant apud Judæos? Respondetur lenim ad dubium Juris, quod apud eos licitum erat, ac frequens dare libellum repudiis, ut nos docuimus supra Decif. IX. unde poterant per illud conjugia, quamvis valida, dissolvere. Ad dubium facti dicitur, quod est probabilis, facta publicatione Edicti de mandato Eldræ, ac Judicum deputatorum de dimittendis uxoribus idololatri, paucissimas ex ipsis voluisse remanere in falsa religione, sed eas ferè omnes conversas esse ad veram fidem, & abjurata ethnica superstitione promississe verum Deum colere; sique illas non fuisse de facto dimissas à conjugibus; sed retentas tanquam prophyetas, ac conversas ad Deum, prout Lex Mosayca concedebat. Notet Studiosus Lector verba doctissimi Saliani ad Annum Mandi 359 3. num. 27. ubi differens de illo difficillimo Eldræ præcepto, ait: Duo fuerunt, quæ difficultatem rei minuantur: primum, iustitia apud eam gentem repudiata; alterum, quod forsas licuit retinere alienigenas, si ad veri Dei cultum se traduci poterant. Quamvis enim hoc in istis mulieribus, sicut in captis bello hebræis? iuxta ea, quæ in Deuteronomio traduntur.

Respondetur autem ad verba D. Pauli 2. Cor. 6. 14. Nolite iugum ducere cum infidelibus, esse hortatoria, & ad summum præceptiva, quæ faciabant Matrimonia fidelium cum infidelibus illicita ob periculum perversionis à fide; non autem irrita, & nulla; idcirco ad d. locum ita commentatur Cornelius à Lapide Nota: Durum erat Corinthiis in tanta paucitate Christianorum arctari a commercia, & conjugia cum fidelibus incunda. Multi enim inter eos sibi nec genere, nec opibus, nec statu, nec aliis dotibus pares inveniebant; itaque vel conjugio eis abstinentiam erat, aut ducenda conjux nobilitate, gradu, & divitiis impar, & inferior. Rursum Jure nature, & Divino eis, aliisque fidelibus simpliciter, & absolute prohibebatur non erat ducere infidelem conjugem: erat tamen id indecens, & periculosum, ideoque ab Apostolo hic prohibetur. Igitur Apostolus monuit Corinthios, ut abstinerent ab incundis conjugis cum infidelibus, non quia si inirent, essent irrita, ac invalida; sed quia indecentia, ac periculosa, ut bene demonstrat etiam Eminens. Card. de Lauræa d. disp. 32. num. 32. siquidem tale impedimentum dirimens ob disparitatem cultus non est inductum à Jure Divino.

Quo ad Tertium, in quo petitur, An prædictum Impedimentum ordinatum sit à Jure Ecclesiastico? ubi? & quando? Omnes Theologi, ac Canonistæ concordi opinione respondent, Disparis cultus Impedimentum dirimens provenire à Jure Ecclesiastico, & ab Ecclesia esse statutum. Ita S. Thomas, Scotus, S. Bonaventura, & alii antiqui in 4. Sent. dist. 39. Sotus ibid. qu. Uic. art. 2. & alii plurimi congesti à Sanchez d. lib. 7. disp. 71. num. 7. Eminentiſſ. Cardin. Bellarminus de Matrim. lib. 1. cap. 23. conclus. 3. Maffrius d. disp. 7. num. 502. Averla d. qu. est. 18. sect. 1. vers. Communis tamen. Salmanticenses dist. cap. 12. numer. 73. & Eminentiſſ. Cardin. de Lauræa d. disp. 32. num. 39. qui tamen omnes faciunt nullibi reperiri Canonem, vel decretum Ecclesie expressè irritans Matrimonia inita inter baptizatos, ac infideles; quia in Jure Canonico sunt

quidem prohibita conjugia fidelium cum infidelibus, ita tamen, ut ex prohibitione censentur illicita, non autem irrita, seu invalida. Idcirco primum Decretum quod adduci potest pro hoc impedimento disparis cultus est illud Concilii Nicæni I. celebrati Anno 325. in quo can. 67. dicitur: Quæcumque mulier fidelis viro infideli nupserit, ipsa quoque ex Ecclesia ejiciatur. Et subinde in can. 69. replicatur: Si quis fidelis filiam, aut sororem non consciam, neque presentem dederit nuptum non credenti, prohibetur communione fidelium. Ipsa vero, que data est in Matrimonium, non est prohibenda: Itaque puniuntur, qui sic nubent, sed nuptiæ non irritantur. Secundum Decretum est illud Concilii generalis Chalcedonenſis habiti tempore S. Leonis Papæ, præsentente Martiano Augusto Anno Domini 451. in cujus can. 14. ita fuit statutum: Neque copulari debet nuptura heretico, vel judæo, vel pagano; nisi forte promittat, ad orthodoxam fidem se per personam orthodoxam copulam transferre. Si quis hæc dispositionem Sanctæ Synodi transgressus fuerit, correptionis canonice subiacet. In quo canone, ut considerat Lessius d. cap. 11. de Matrim. num. 182. atque Eminentiſſ. Card. de Lauræa d. disp. 32. num. 41. nihil prorsus habetur de irratione Matrimonii, imò eodem penitus modo decernitur de infidelis, ac de heretico; & tamen cum hoc non est irritum, ut mox demonstrabimus; idemque resultat ex Concilio Toletano 3. cap. 14. Aureliani 2. cap. 19. Arvernen. cap. 6. & Roman. sub Zacharia Papæ; in quibus omnibus prohibentur Matrimonia fidelium cum infidelibus sub pena excommunicationis; sed nullum verbum de irratione.

Poffet quis urgere ex Concilio Toletano 4. cap. 61. (& refertur in cap. Judæi. 28. q. 1.) ubi sic habet: Judæi, qui Christianas mulieres in conjugio habent, admonentur ab Episcopo Civitatis illius, ut si cum eis permanere cupiunt, Christiani efficiantur, quod si remoniti noluerint, separentur. Sed, ut bene subdit Emin. Card. de Lauræa ubi sup. num. 43. neque ex hoc colligitur intentum, nam non loquitur de separatione vinculi, fed thori tantum, imò ex eo habetur oppositum: si enim Judæus efficiatur Christianus, periret in conjugio; ergo erat verum conjugium, quia non requiritur novus consensus, seu contractus, qui idcirco validus erat ante conversionem.

Quapropter cum prædicti Canones, & alii consimiles, qui leguntur in d. 28. q. 1. loquantur de prohibitione, non etiam de irratione Matrimoniorum inter personas disparis cultus initorum, hæc provenire ex Ecclesie consuetudine, universitater approbata, omnes DD. asseverant; ut subdit idem Emin. Cardin. de Lauræa d. disput. 32. num. 46. his verbis: Consuetudo Ecclesie Romanæ habet vim Legis, & ideo semper servanda ex Innocentio I. Episc. 1. 17. cap. 19. & dist. 11. cap. Nolite. cap. Quis sciat. dist. 12. cap. Non decet cum similib. Hæc autem est ejus consuetudo, & praxis, ut irritet Matrimonia fidelis cum infidelis; hæcque antiqua, non admittens contrarium: Unde ex consuetudine inductum, ac firmatum est hoc dirimens impedimentum disparitatis cultus ex communi Theologorum, & Canonistarum assertionem, allegatorum pro ipsum Sanchez d. lib. 7. disp. 71. num. 8. quibus consentiunt Lessius d. cap. 11. num. 183. Ledesma, Averla, Candidus, Bonacina, & alii, quos citant, ac sequuntur Salmanticenses d. trad. 9. cap. 12. num. 73. ex quibus confirmatur doctrina, quam posuimus pro inconcussa in Decif. XVIII. n. 20. videlicet consuetudinem legitimè præscriptam habere vim introducendi impedimenta dirimentia Matrimonium.

Quoad Quartum: in quo requiritur, An Catholica mulier valide nubat Heretico, seu Apostata? & de contra? Respondetur, circa hoc Quæritum tres reperiri sen-

sententias. Prima negat, mulierem Catholicam valide nubere Heretico, seu Apostata. Ita Glossa in cap. fin. de Condit. appos. Verb. Contra substantiam: ubi sic loquitur: Est & alia conditio honesta, que est de substantia Matrimonii, ut cum Christianus dicat Judæa, vel heretica, contra teum, si vis feri Christiana; sine ista non tenet Matrimonium. Huic Glossæ adhæsit Hoffiensis in cap. 2. de Conjug. Servor. & Simanca de Catholic. Instit. tit. 40. n. 46. Sed ejusdem Glossæ dictum reprobat ibidem ab alia Glossa marginali, quæ advertit, esse differentiam inter judæam, atque hereticam; quia contra illam est impedimentum disparis cultus dirimens: non etiam contra istam. Secunda Sententia docet, aliquando extitisse inter Catholicos, & hereticos hoc impedimentum dirimens, sed successu temporum, per contrarium usum fuisse abolitum. Ita Basilius Pontius de Matrim. lib. 7. cap. 47. num. 11. Tertia Sententia, quæ communis est inter Theologos, ac Canonistas, absolute docet, validum esse Matrimonium inter Catholicum, ac Hereticam, seu Apostatam, & de contra inter mulierem Catholicam cum viro heretico, seu Apostata; etsi illicite simul contrahat, & cum culpa gravi. Ita innumeris DD. quos citat, & nominat Sanchez d. lib. 7. disp. 72. num. 2. Averla quest. 18. sect. 2. Lessius d. cap. 11. num. 184. Salmanticenses d. cap. 12. numer. 75. Maffrius d. disput. 7. num. 505. Emin. Cardin. de Lauræa d. disp. 32. art. 3. ubi num. 52. & seqq. probat, conjugia inter prædictos esse illicita, tum ob periculum malæ educationis proli, tum ob censuras, quibus per Sacros Canones plectuntur iidem contrahentes, ut in cap. Circe. & cap. Non oportet. 28. q. 1. Et ex Conſtit. 42. Incipien. Cum fecit. Clementis Papæ VIII. ac aliis Conciliaribus Decretis.

Quod autem inter Catholicum, & Hereticam, seu de contra, si contrahatur Matrimonium, non sit irritum, probatur. 1. Quia nulli Jure reperitur statutum hoc impedimentum dirimens inter eosdem. 2. Quia sic docet Glossa in d. cap. Non oportet. 28. q. 1. in Verb. Hereticis, dicens: Hereticus non potest contrahere Matrimonium cum Christiana; dicit tamen Hugo, quod si contrahit, tenet Matrimonium, sicut si contraheret cum excommunicato. 3. Quia Bonifacius VIII. in cap. Decretis. De Heretic. in 6. mandat, confiscari dotem mulieris Catholicæ scienter nubentis viro heretico; at non irritat ejus Matrimonium. 4. Quia Clemens VIII. in cit. Constitutione Cum sicut. §. 2. prohibet tantummodo, Ut Itali abstineant à Matrimoniis cum Hereticis mulieribus. 5. Quia Urbanus VIII. die 14. Martii 1630. in Congregatione S. Officii coram Sanctitate sua habita, decrevit, quoad Matrimonia jam inita tolerari posse Mulieres hereticas, que maritos habent Catholicos, cohabitare arbitrio Ordinariorum, quamdiu fuerit aliqua spes conversionis; & nullum subversionis periculum; ita tamen, ut proles catholicæ educetur. Ut refert Nicolius Instit. Civil. lib. 1. tit. 10. num. 42. Pignatellus tom. 4. consult. 139. & ejus Summator Abbas Paluccius tom. 2. Verb. Matrimonium. pag. 22. Et 6. Quia Sacra Congregatio Propagandæ Fidei Anno 1638. tom. 52. num. 36. Censuit, in terris Hereticorum, ubi hereses impudè grassantur, maxime si ibi Catholica Fidei liber cultus non permittitur, Matrimonia cum ipsis hereticis, per exhortationes potius, quam per censuras prohibenda; teste eodem Nicolio d. n. 42. Late Gobatus de Matrim. trad. 9. num. 226. & seqq. ubi doctè demonstrat, non extare hoc impedimentum dirimens inter Catholicos, & Acatolicos respectu disparis religionis; etsi contingere possit, ut ob aliquas condiciones, essentialiter Matrimonii tanquam contractus repugnantes, possit inter eosdem invalidè iniiri.

Sed objicit aliquis: In sexta Synodo Generali

habita Anno 692. statutum fuit in can. 72. Non liceat, Virum orthodoxum cum muliere heretica; neque orthodoxam cum viro heretico copulari. Si quid injusmodi ab illo est omnibus factum apparuerit, irritas Nuptias existimari, & nefarium conjugium dissolvi. Ergo tunc statutum fuit Impedimentum dirimens Matrimonium initum inter Catholicos, & Acatolicos, Respondet Emin. Card. de Lauræa d. disput. 32. num. 64. Canonem illum nullius esse auctoritatis, & subdit; Ratio est, quia ut habetur ex tom. 3. Conciliorum fol. 141. illud Concilium congregatum fuit Constantinopoli Anno 692. in Palatio, quod dicitur Trullianopoli Anno 692. in Palatio, & condidit Canones 102. inter quos multi præjudiciales Universitati Ecclesie, & præsertim Latine; & nunquam fuit à Sede Apostolica confirmatum; Igitur ex eo nequit deduci Decretum invalidans Matrimonia. Et ne quis dicat, ita locutum Cardinalem esse affectu in Ecclesiam Romanam, cuius primaria fruebatur dignitate; notentur verba Salmanticensium in Hispania commemorantium, qui d. tradit. 9. cap. 12. loquuntur: Respondetur, illum Canonem esse ex illis, qui Trulliani dicuntur, qui post dissolutam Synodum statuti sunt ab aliquibus Episcopis, & sic nullam habent auctoritatem. At id plenius demonstrat Caballarius in Notitia Concilior. agens de ejusdem Trulliani conventus Decretis.

Corollarii loco liceat ad complementum disparis religionis impedimenti irritantis, tanquam à consuetudine in Ecclesia recepti, ponere hic verba Dianæ, quæ habentur in part. 6. tract. 6. resol. 39. & nunc reposita conspiciuntur in Coordinati ejus operis 23 tom. 6. tract. 1. resol. 13. sub §. 2. videlicet: Et ideo conformiter ad dicta graviter aliquos Theologi, de quorum numero fuit Lessius, in consultatione Rome habita, consenserunt, disparitatem cultus apud Chineses, & Japonias, his initiis correptionis, non esse impedimentum dirimens. Ratio hujus dicti esse potuit, quod eatenus prædictum Impedimentum dirimit, quatenus fit usum, & consuetudine receptum; cumque in novi illius Christiani Orbis partibus hæc consuetudo tunc non esset legitime firmata, ac scripta; ex ea nondum erat idem impedimentum statutum. Leonardus Lessius excellentem doctrinam probant opera multiplicia, quæ in Bibliotheca Scriptor. Soc. Jesu recensentur Litt. L. Verb. Leonard. Lessius; cuius pietatis eximie ponitur testimonium his verbis de his, quæ sibi servanda quotidie propulerat. I. Neminem vituperare. II. Ante studium cor ad Deum elevari. III. Pro capiendō consilia orare. IV. In surgendo orationem, Concede quæsumus, usurpare. V. In rebus dubiis, ac perplexis ad luminis Divini fontem confugere. VI. Ubique impetum cohibere, & pacifice agere. VII. Modum in refectioe servare, & memorem esse celestis voluptatis. Doctissimus hic Theologus Leonardus Lessius, ac piissimus Societatis Jesu Sacerdos, obiit Lovani die 25. Januarii Anno salutis 1623. ætatis suæ 69. Religionis 51. Sacerdotii 43. Professionis quatuor Votorum 33. ut in eadem Bibliotheca legitur adnotatum.

DECISIO XXVII.

ARGUMENTUM.

Continet hæc Decifio, quidquid dici potest, aut sciri debet de Impedimento, Matrimonium dirimente, Vis, & Metus. Harum vocum Etymologia, definitio, ac divisio præmissis, explicatur, Quo Jure Metus gravis dirimat Matrimonium? & Quot condiciones requirantur, ut Metus dicatur gravis, cadens in constantem Virum? Resolvitur, An Me-